

caci præcepta servari nequeant, aut peccata vitari, qui gratiâ illâ carent, peccant necessitate, & tamen demerentur juxta Quesnellum. Igitur in ejusdem sententia ad peccatum formale, & demeritum sufficere debet libertas in Adamo, cum ea, quæ personalis dicitur, prorsus nulla sit.

8 Secunda propositio ab Alexandro VIII. proscripta. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu natura lapsa operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Si non excusat impotentia indeclinabilis, neque necessitas invincibilis, qualis apud Quesnellum est in destitutis gratiâ efficaci, non est unde excuset invincibilis ignorantia; si enim excusaret, esset quia peccatum ex tali ignorantia non esset liberum, atqui nec liberum est peccatum sine gratiâ efficaci juxta Quesnelli principium, & tamen non desinit esse peccatum formale, & demeritum.

9 Tertia propositio inter 31. damnata: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Si neque impotentia, neque necessitas operantem à culpa eximat, non est cur eximat probabilitas, etiam maxima. Ratio enim ob quam summa probabilitas dicatur reddere actionem licitam, est quod certitudo passim in moralibus haberi nequeat: unde si non liceret sequi opinionem probabilissimam, imponeretur jugum humanæ infirmitati intolerabile; quod non est præsumendum imponere Deum voluisse, qui jugum suum suavè prædicat, & onus leve. Sed ea ratio apud Quesnellum nihil ponderis habet, qui Deum nobis fingit non solum gravia, sed etiam impossibilia præcipientem.

10 Quarta propositio. *Dedit semetipsum pro nobis, oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.* Cum hujus Author dogmatis vidisset damnatam Janfenii propositionem 5. velut impiam, blasphemam, & hæreticam, intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, existimavit se tutum fore ab anathemate, si Christum diceret mortuum pro omnibus, & solis fidelibus; non quidem pro omnium fidelium æterna salute, sed justificatione, saltè temporanea; non autem pro justificatione infidelium, & eorum, qui nunquam justitiam consequuntur: cum juxta Authorem illum, æquè ac Quesnellum omnis gratia sit efficax, nulla merè sufficiens; adeoque sine gratiâ efficaci nihil boni ad justitiam conducentis fieri possit. Ex quo supposito utriusque principio invidè sequeretur, Christum dedisse semetipsum oblationem pro justificatione solum fidelium.

11 Quinta propositio: *Pagani, Judæi, Hæ-*

*retici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratiâ sufficienti.* Quia juxta Quesnelli propositionem 45. & tres sequentes, peccant illi in omnibus actibus, adeoque nullam habent gratiam efficacem; sine efficaci autem nihil possumus juxta propositionem Quesnelli secundam; unde sine efficaci omnibus alia esset frustranea, atque inutilis; quem enim usum haberet, vel habere posset? *Hinc rectè inferes, eodem Authore, voluntatem in Paganis, Judæis, Hæreticis, aliisque hujus generis esse nudam, & inermem sine gratiâ omni sufficienti, atque ita nullum omnino accipere illos à Jesu Christo influxum.*

12 Sexta propositio: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere a GRATIA SUFFICIENTI LIBERA NOS DOMINE.* Si absque gratia efficaci nihil boni fieri potest, nulla etiam poterit superari tentatio: cui igitur usui erit gratia sufficiens, nisi ut reddi videamur magis debitores?

## CAPUT V.

*Eadem propositio damnata contraria est Scholasticis, proscripta ab Episcopis, & sæpius à Sorbona.*

1 **S**. Thomas in qq. disputatis q. 2. de pot. art. 3. *Voluntas in quantum voluntas est, cum sit libera, ad utrumlibet se habet, agere & non agere, velle vel non velle: & si respectu alicujus voluntas sit determinata, hoc non est in quantum voluntas.* Juxta propositionem damnatam, quisquis omissione operis præcepti peccat carens gratiâ efficaci, non habuit in potestate sua agere, & velle, sed solum non agere, & non velle, adeoque voluntas ejus non fuit libera, quia non habuit se ad utrumlibet.

2 Idem lib. 3. contra gentes cap. 73. *Voluntas, inquit, habet in potestate producere hunc effectum, vel illum, propter quod est contingens ad utrumlibet.* Juxta propositionem damnatam voluntas omittens actum præceptum, non habuit in potestate illum ponere; igitur neque hic libera fuit, sive contingens ad utrumlibet.

3 Idem Angelicus in qq. disputatis q. de malo q. 6. de electione: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliud eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeresur. hæc autem opinio est hæretica.* Tollit enim rationem meriti & demeriti.